

SPIRITUS CHRISTUM
GLORIFICANS.

Certissimus pura Veritatis Cœlestis

INDEX atque VINDEIX,

quem ex Verbis Christi Joh. XVI.

vers. 14.

Auspice S. S. Triade.

PRÆSIDE,

*Maximè Reverendo, Amplissimo Excellen-
tissimoque Viro,*

DN. JOH. CHRISTOPH.
Bilefeld /

S. S. Th. Doct. ejusdemque Prof. Prim. in Acad. Giess.
Celeberrimo, Sereniss. Principi, Hasso DARMSTADINO à concio-
nibus Aulicis supremis, Consiliis Eccles. & Superintendente
Darmst. & Giess. undiquaque meritissimo,

Domino, Patrono, ac Patri in Christo honoratissimo,

H. L. Q. C.

Publico placidòque omnium θεοδιδάκτων probationi exponit

GERHARDUS VECHTMAN.

Bremensis V. D. M. Author.

Addièm XI. Maji Anno 1695.

GIESSÆ-HASSORUM, Typis HENNINGI MÜLLERI.

diss. A

6

54. A 149 (G.)

H.

H. H. H.

SERENISSIMO PRINCIPI
ac DOMINO,

DN. ERNESTO
LUDOVICO,

Hasfiæ Landgravio, Principi Hersfeldiæ,
Comiti in Catimeliboco, Deciâ, Zigen.
hainâ, Niddâ, Schaumburgo, Yfen-
burgo & Bûdingâ &c. &c.

PRINCIPI ac DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO,

Dissertationem hanc Theologicam



humillime offert

AUTHOR.



SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME.

Sæpius iterumque animo recolui antiquum illud proverbium: *Mola salsa litare Diis, qui thura non habent.* Prout enim cuique donorum data est copia, tantundem benefactori refundere tenetur. Actum ageret si à puero quis Homeri Iliada exigeret; aut rusticum acutè philosophantem desideraret. Summus ille rerum Moderator, pro immensa sua bonitate & sapientia unicuique mortali-um spartam adsignat, eamque ornandam præcipit, quantum ergo quisque ponderis accepit, tantum, licèt non sine lucro, Creatori & Patri suo cœlesti reddere cogitur. Hujus veteris verbi memor, nunc quoque SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, hoc quicquid est laboris Theologici, & Testimonii repurgatæ atque secundum verbi divini veritatem verè non nominatenus Reformatæ doctrinæ specimen edere, Tuæque SERENITATI humillimè offerre ausus sum, nunquam profectò id facturus, nisi me thura non habentem, æque hæc mola salsa litare posse Deo terrestri mihi persuassem; Equidem & sale totum hoc opusculum caret, & SERENISSI-

MINOMINIS præfulgente splendore indignissimum est, sed quod tenuitati meæ decedit, splendida TUA SERENITATE AUGUSTISSIME PRINCEPS, refarcitur. Si Poëtarum stylo loqui fas est. Non ambusti Phaetontis instar ad solem accedo; Terrent vestigia Bellerophontis equitis Pegasi. Jupiter æque humiles calefacere, quam superbos fulmine tangere, potest. Humilitatis igitur tenuitatisque meæ memor, supplex ad SERENITATIS TUÆ thronum venio, quodque in manibus est profero, qui pro ratione ætatis, studiorum, donorumque majus quid dare adhuc non potui; sin (quod unice à Jova exoro,) SERENITATEM TUAM Deus, secundum beneplacitum suum in futurum temporis punctum superstitem reddiderit, mihiq; in servitiis AUGUSTISSIMÆ DOMUS dies peragere siverit, omnes animi corporisq; vires eo impendam, ut post hæc thura offerre queã. Accipe ergo, SERENISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME serena fronte hoc quicquid est conatus pro veritate indefessi *πειθήσων*. Quod si feceris, immerita hæc SERENITATIS TUÆ clementia mihi erit stimulus ut omnem vitæ meæ rationem ad gloriam Dei, beneplacitum TUÆ SERENITATIS & ad utilitatem proximi instituam. *Μακάριος* & ille & solus *Αυγαστής* Te AUGUSTISSIME PRINCEPS cùm SERENISSIMA CONJUGE totaque PRINCIPALI DOMO, ad totius Principatus Hasso-Darmstadini emolumentum subditorum solatium, Ecclesiæque incrementum saluum, in columnam florentemque esse jubeat, hæc est votorum summa.

SERENISSIME PRINCEPS

SERENITATIS TUÆ

Dabam Giessæ Hassorum
anno 1695. d. 11.
Maji.

humillimi serui

GERH. VECHTMANNI.



Benevolo Lectori

χαρίν κ̄ εἰρήνην.

Cum in ultimis hisce temporibus varia illa Ψεῦδο-Christiano-
rum erroris & nequitia πανουργία καὶ μεθοδεία tanta sit, ut pleri-
que hominum omni ferè doctrina flatu moveantur summa ne-
cessitatis hâc in primis rerum facie esse arbitror, si frequens δοκι-
μασία τῶν πνευμάτων 1. Joh. IV. 1. instituat. Spirituum autem accurata
& distincta probatio in eo consistit, ut mens illuminata a piis que precibus sur-
sum directa veri falsique discrimine ritè adhibito, utriusque πνεύματος
characterem probè agnoscat; Egregium quidem divini spiritus κελτήριον
vobis prabet Apostolus Johannes loco antea citato, v. 2. 3. sed clarius hæc
δοκιμασία, toti Oeconomia salutis aeterno Dei decreto, ejusdem executioni,
omnibusque fidei vitæq; Christiana preceptis poterit applicari, si observen-
tur verba Christi, qua leguntur, Joh. XVI. 14. ἐκεῖν ὃ ἐμὲ δοξάσει, ubi præ-
dicatur de Spiritu, quod glorificaturus sit Christum, non respectu Deitatis
solum, quatenus ille μονογενὴς τὸ πατρὸς, ἀπαύλασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακ-
τὴρ τῆς ὑπερσείως. Hebr. I. 3. Sed relativè quoq; ad officium Mediatori-
um, quatenus consideratur, ut omnes Dei promissiones sunt: γὰρ καὶ Ἀμὴν
in ipso 2. Cor. I. 20. & Sponsor ipse est, qui ad implendum consilium pacis,
ad offerrendum Patri suo λύτρον, ἐνσαρκῶς factus, & ut τιμιόν sit ipsius αἵμα
humanitati personaliter ἰσὺ λόγῳ unita idioma divina communicavit. Et
quamvis in liberrimâ sui Exinanitione formam servi assumeret Deus
tamen eum exaltavit, ipsiq; dedit ὄνομα τὸ ὑπὲρ πάντων ὀνομα. Phil. II. 9. Quod
nomen, dum per universum orbem Apostolos prædicare jussit, absque ipso
hoc nomine, nec salutem aliundè quæri nec inveniri posse publicè ostendit
(conf. Act. IV. 12. Pariratione, Spiritus Veritatis CHRISTUM glorifi-
cat, per ea, qua ad infucatae pietatis praxin spectant, graviter inculcando,

has esse partes redemptorum Christi sanguine, ut huic Regi suo serviant in
 sanctitate & justitiâ Luc. 1. 74. 75. Et peccatorum jugum seu domina-
 tum, virtute Redemptionis per Christum facta fideq; apprehensa indes ex-
 cutiant Rom. VI. 12. Videmus itaq; quam necessaria sit hac Spirituum do-
 κιμασία, ita ut absque illa lucem à tenebrarum caligine haud discernere
 possimus, imò potius amore caliginis detenti lucem odio habeamus. Neque
 enim aliundè tam in primitivâ, quam hodiernâ Ecclesiâ exorta hereses,
 discordia, schismata, & tum in propria tum aliena viscera sevitiosissima &
 horrenda rabies, quam ex neglectâ vel perversò modò institutâ δοκιμασία.
 Hinc indè enim Spiritus Anti Christi veri & divini Spiritus specie imbu-
 tus θεοπνευσία donatus est ab hominibus, ut videri volebant non incredulis.
 Occidentem in primis versus elevantes oculos, videbimus in templo Dei
 sedentem adhuc Ἄνθρωπον τῆς ἀμαρτίας ἢ τὸν ἕν τῷ ἀποκαλείας. 2. Thess. 11. 3.
 Heresiarchas hujus nostri præteritiq; temporis adspicientes Quemlibet se
 Spiritum ex alto habere jactitantem audiemus, de quibus egregiè Belgicus
 quidam Poëta cecinit:

Arrius, Arminius, Socinus, Menno, Photinus,
 Pelagius, queis & jungitur atra cohors
 Enthusiastarum, pariter cum segrege turba
 Per patrias oras, qua celebrata recens
 Illicio Satane Româ præeunte Magistra
 Offuscant, quem nos irradiare juvat
 Justitia solem &c.

Horum, ut diximus, nullus est, qui θεοπνευσίαν non jactitare
 auderet Quod si autem Spiritus S. fideles ducit in veritatem, Necessariò
 tantum hæc veritas, unica esse potest, qua Christum ejusque gloriam pro
 objecto habet; Scat itaque hæc sententia non omnes, qui de Spiritu glori-
 antur, habere Spiritum verum, sed, qui ita de Spiritu gloriari possunt, ut
 simulre ipsa ostendant se à Spiritu in omnem veritatem duci gloriamque
 Christi strenuè promovere. Nequis autem fallat, aut fallatur ad ex qui-
 sitam spirituum cognitionem eorundemque accuratam δοκιμασίαν pertinet
 in primis τὸ ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς Joh. 5. 39. Hæc n. S. Scriptura eum contineat
 ὑποῦπωσιν τῶν ὑμαινόντων λόγων 2. Tim. 1. 13. ita sanè eandem perscrutari de-
 cet, quippe de Christo testatur. Hæc, ut per similitudines rem eloquar,
 Pharus, ad quem contrita ab æstuante Oceano navicula requiem invenit
 Angiportus, quem attingens Scyllam evitat atq; Charybdin, filum Ariad-
 neum, quo minothauri debellator ex Labyrintho Dedali se extricat. Ad
 Papam confugiant ejus Satellites; ad sanæ rationis scrutinium Sociniani &
 quihæc in parte his non absimiles sunt, Fratres quondam mihi fidei, Refor-
 mati

mati, scripturam S. ejusque oracula in fallibilia solum consulunt hi qui a Spiritu S. & divino in omnem duci cupiunt veritatem; extra scripturam nulla vel certè supervacanea datur spirituum δοκιμασία, sine ea, nec lucem agnoscere, nec πνεύμαλα probare possumus. Perperam autem imò blasphemè Spiritus Christi, ab illis, qui Spiritu iniquitatū & errorum sopore imbuti, adeoque justo Dei judicio ad credenda mendacia traditi sunt, Spiritus Fanatici, Anti-Christi & Diaboli nomine dedecoratur, quod tamen sapius factum esse hodieque fieri experti sumus, Substantialis illa sapientia, Christus, in quo tota plenitudo Deitatis habitabat σωματικῶς, vix in humanae carnis imbecillitate apparuerat, ut voluntatem Patris sui nobis revelaret, cum statim se Diabolum nominari suaeque doctrinae caelesti contradici patienter per passus fuerit. Patre autem familias ita turpiter tractato, qui fieri poterit, quin ejusdem Domestici aequè ita tractentur. Nam si hoc factum in ligno viridi quid in arido non fiet? Christo enim in caelum sublato, undique statim furor, undique arma circum sonabant capita Christianorum, Christianum nomen Judæis erat σκάνδαλον Gentilibus μωεία 1. Cor. 1. 23. undè conjunctis viribus in Christianorum furibundi se viebant exitium, spreto salutis fonte rivulos ejus extirpare connititur, pingue factum leschurum. Apud Ethnicos Christianum nomen adeò odiosum erat, & invisum, ut Christianos ad leones, Christianos ad bestias saeviens & ignobile acclamaverit vulgus; solennis profecto erga innocentes, nec minus quoque caecus furor, hi enim ἄθεοι erant, caeci mente, & pravi voluntate, illi autem Judæi, quibus concedita erant τὰ λόγια τῆς Θεῆς caeco, ut ut religioso flagrantibus Zelo, lucem extinguere contendebant, ipsi, quid facerent, nescientes, quin imò non tam Christianorum fides, spes, charitas patientia, quam quidem solum ipsorum nomen apud Judæos exosum erat sed nenimis videamur evolvere ea, quae jam dudum silentii oblivionisq; supparo involvit temporis longævitas, deperditi hujus nostri seculi depravata & diabolicam certè intuens spirituum δοκιμασίαν, pendeo profecto animi, an cum Heractito deslere hominum impudicae frontis, pectorisque Hecla instar insanientem ferè saevitiam exspumantis perniciem, an verò alto supercilio, inanes ridiculosque aevi nostri conatus spernere & deridere cum Democrito debeam. Eo enim nobiscum maximam partem deventum est, ut, nostri ipsius nominis expertes, Christianam religionem in externo opere operato, cæterisque cultibus civiliter bonis (verà fide, spe, charitate ad ima redactis) consistere arbitremur: τίνι δὲ ὁμοιώσω τὴν γένεαν ταύτην Haud absre judicat Origenes, comparans illos cum templis Aegytiacis, Ad v. Cels. l. 3. §. 121. Ad eorum, inquit, templa venientes, lustrorum arborumque levi ta-

*Statum, flamine, & hinc inde suaviter susurrantium, umbræ animum ap-
 primè titillant, mirifica templorum Pyramidumque structura, tum animos
 admiratione detinet, tum oculorum perstringit aciem. Multifaria &
 pomposa in sacrificiis præparandis *μεθοδεία*, alta mysteria in hoc cultu lati-
 tare persuadet, facilè credentibus, ast; ubi templum ipsum intraveris,
 cumque circum spiciendo devota mente Numina quæris, simiam, Croco-
 dilum, canem, aliudque monstrum invenies. *Hæc Origenis verba sunt,*
quantum verò etiam in respectu ad nos veritati consentanea, quotidiana
prohdolor satis superque testatur experientia, nec tam surda est hæc nostra
etas, nec muta falsi garrula fama, quin hæc ardorem nostrum in veritate,
quæ est secundum pietatem, dignis extolleret laudibus, & illa arrectis auri-
bis eundè perciperet approbaretq; dummodò in mediò nostrum florens repe-
viretur. Verum enim verò, cum Spiritus veri & divini character sit quando
fideles ducit in veritatem, inq; eam veritatè per quam Christus glorificatur,
& quæ Christi est; manifesto apparet, quod tum demum ab hoc Spiritu du-
camur, cum ejusdem, operationes, & signa in doctrinâ & praxi nostra
se prodant, quorum catalogum divus Paulus enumerat in Ep. ad Gal. c.
V. vs. 22. & 23. sed ne patientiâ Benevoli Lectoris abuti videamur, eun-
dem tam diu in vestibulo detinentes, Rem ipsam aggrediemur, perque se-
quentes aphorismos veritatem hanc Scripturæ S. intimam ulterius
explicabimus, Tu, benevole lector, Vale, & absque præ-
*judiciis sequentia perpende.**





Σὺν Θεῷ!

I.

UT indubiâ prorsus ratione fideles possent dignoscere, quis verus ab exaltato Christo missus sit Spiritus, & quomodò in doctrinæ vitæque puritate suum exhibiturus sit testimonium, Salvator Optimus clarâ voce prædixit: ἐκεῖν ἐμὲ δοξάσει Joann XVI, 14.

II.

Cùm enim omnium nostrarum actionum is præcipuus scopus esse debeat, ut Deus glorificetur, nemo autem Patrem honorare possit, qui non honorat Filium Joh. V. 23. indubitatum est κελήθειον, illum verè esse Dei Spiritum, qui Christi gloriam in omnibus manifestat.

III.

Omnes proinde fideles à Spiritu S. eò deducuntur, ut omni modò Christi Majestatem intimè agnoscant, ut gloriam Dei, bonitatem & beatitudinem Ejus in facie Jesu Christi intueantur, 2. Cor. IV. 6. in Eo, ceu salutis fonte, unicè per fidem acquiescant, & omnem in ipso salutarem virtutem quærant, Cæteris longe posthabitis; id quod Pauli nos docere poterit Exemplum, Phil. III. 7. 8. 9. & 1. Cor. II. 2.

IV.

Glorificatio verò hæc Christi à Spiritu ejus ita perficitur, ut in omni, quam affert, doctrina eò tendat,

A

quò

quò & Majestas Dei ac hujus Salvatoris, & innumera bona, quæ in Christo fidelibus sunt donata, aperiantur, hominumque animi viva eorum cognitione impleantur, adeò ut ubique *tàm in rebus fide tenendis, quàm ipsa praxi demonstrandis* gloria Jesu Christi elucescat.

V.

In rebus fide tenendis Spiritus Christum glorificans ita operatur, ut Majestatem tùm personæ tùm Officii Ejus, Hujusque præsertim summam necessitatem & amplissimam utilitatem revelet.

VI.

Personæ Dignitatem in eo monstrat, quod ipse sit Filius Dei æternus ejusdemque cum Patre essentiæ, Eb. I. 3. Joan. I. 1. per quem visibilia & invisibilia facta Col. I. 16. omnis boni fons perennans, ex quò largissimè in nos defluant quæ ad hujus & futuri seculi salutem spectant.

VII.

Porro, quod idem noster Dominus Jesus Christus, ut verus quidem hominis filius sit adspiciendus, talis tamen qui cum Filio Dei unione personali ita sit unitus ut unus solùm sit Christus, unus Dominus Dei & Mariæ filius. 1. Cor. VIII. 6. Joan. I. 14.

VIII.

Ex qua Unione ea ipsi communicata sit Majestas, quæ verè Divina dici possit, ut secundum Humanam quoque Naturam verè omnipotens, omniscius, omnipræsens &c. sit credendus, utpote ἐν μορφῇ ἰσθ Θεῶν constitutus, Phil. II. 6. omnipotestate in Cælo & terra donatus Math. XXII. 18, omniaque replens Eph. IV. 10.

IX. Cùm

IX.

Cum itaque certum sit in hac doctrinae veritate occupari verum Christi Spiritum, facile patet quid iudicandum de illo Spiritu qui Majestatem hanc Christo detrahit, aut ad minimum valde imminuit, talis verò Reformatorum utique reperitur, utpote qui Majestatem hanc Christo communicatam, pro verbali potius interpretari vult, quàm re ipsa talem esse, fateri; qui ratione, in mysteriis cœcâ, commotus, hæc talia in hominem seu Humanam naturam cadere non posse statuit, qualia tamen Deus, conditor Naturæ in verbo suo verissimo de mysteriis his rationi, sibi relicta, imperscrutabilibus, clarè affirmavit. Ex quo etiam fundamento orta illa Verborum Christi in S. Cœna: *ἵνα ἕσι τὸ σῶμα μου*, detorsio, à quolibet, Jesum glorificante, quem Spiritum auctorem habeat, dijudicari potest.

X.

Officium Christi quod attinet, vel potius triplicis Ejus officii, respectu hominum, generalem finem; opus nimirum Redemptionis, & Salutis nostræ recuperationis, Verus Spiritus gloriam Jesu Christi suis ita manifestat, ut Ipsum & unicum & nunquam satis honorandum agnoscant salutis fundamentum, tam quoad ejus decretum quàm decreti executionem.

XI.

Primo enim docet in Christo ab æterno factum esse salutis nostræ decretum, hoc est, Ejus, utpote futuri *ἀγαπᾶς*, intuitu Deum, qui nos quidem amabat Joh. III. 16. justitiæ tamen suæ satisfactionem merito requirebat, humanum genus sibi reconciliare constituisse, 2. Cor. V. 10. ita ut fideles in hoc suo Servatore primam aspiciant

decretæ salutis causam; id quod tùm ipsa decreti probat executio, cùm haud aliter salutis quam in & propter solum Jesum existamus participes, hanc verò executionem ipsi decreto exacte debere respondere nemo negabit, qui sanctissimam Dei & immutabilitatem & Veritatem cognitam & perspectam habet; tùm egregium illud dictum Eph. I. 4. ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν χριστῷ πρὸς τὴν βολῆς κόσμου. Si enim in Christo, id est, eò respectu quod in Christo per fidem futuri & perseveraturi simus, ad salutem Deus nos elegit, manifestè patet, decretum hoc ad salutem non alia ratione dari potuisse, quàm in hęc Jesu nostrò.

XII.

Hanc Majestatem Christi, hanc Ejus ex fundatâ super se ipsò totius Mundi salute gloriam, fidei Spiritus S. aperit animæ, ut Eum tanquam æternum salutis fundamentum summò suscipiat ac veneretur honore.

XIII.

Imòtam hanc Veritatem qui negant, omnes autem illi reverà, negant qui absolutū, nullo respectu, an quis in Christo futurus & perseveraturus sit nec ne, habitò, Decretum Dei de salute vel damnatione hominis statuunt, certè Christum non glorificant sed magnam ipsi adimunt, illius honoris partem, qui jure huic salvatori Catholico debetur & ille spiritus, quò tales ducuntur, Spiritus Christi appellari & agnosci haud debet.

XIV.

Deinde docet Spiritus Christum glorificans quomodo Decretum hoc ab æterno factum totum genus hominum per unum Dei hominisque Filium redimendi, in Domino nostro Jesu perfectissime sit impletum.

XV. Ni-

XV.

Nimirum quòd per obedientiam plenissimam tam activam quàm passivam, redemptionem è maledictione Legis Gal. III, 13. Gratiam Patris & liberationem à dominio peccati, tyrannide mortis & satanæ regno, conciliaverit omnibus, ita ut cuilibet, quicumque demum sit, aditus ad æternam salutem pateat. Quale Spiritus S. testimonium reperimus 1. Joh. 2, 2. 1. Tim. 2, 6. quò etiam facit illud Spiritus effatum 2. Pet. 2, 1. ubi de damnandis etiam dicitur quod à Christo sint redempti.

XVI.

Porro etiam spiritus Christum glorificans manifestat, docendo, quod non solum Ille salutem omnibus sanguine infiniti pretii acquisiverit, verum etiam Ipse media Gratix ad eam percipiendam sufficientia, modo licèt rationi nostræ non ubique pervio, cuilibet offerat Act. XVII, 31.

XVII.

Cui veritati stabiliendæ porro accedit testimonium desumptum ex interno motu Spiritus S. in fidelibus, eò nimirum tendente, ut omnium hominum salutem quòvis conatu & optent & promovere studeant. Unde quilibet, regenerationem, quippe quâ non alia quam ipsius Dei indoles (θεϊα φύσις) homini donatur, bene perspiciens, facile colligere potest, ipsum etiam Deum eòdem, imò longe majori amoris impetu nunquam non cum effectu conjuncto, erga omnes homines flagrare, serioque cupere, ut æternæ salutis, in Christo sibi oblatae fiant participes.

XVIII.

Is itaque Spiritus, qui Jesum universalem Redem-

demtorem totius humani generis à Patre missum, uni-
 verso mundo datum, & omnibus denique cum thesau-
 ris suis serió oblatum, negat, Christo id detrahit, quod
 ubique Spiritus Christi in Scripturis ipsa adsignat & in
 cordibus fidelium obsignat, sicque clarum de se perhi-
 bet testimonium, se non à Christo, sed Ejus potius ad-
 versario ortum trahere.

XIX.

Non minori studio Spiritus Christi ipsum glorifi-
 cat tanquam Magnum nostrum Prophetam, cujus ver-
 bo simplici fide submissa que mente credendum, & ca-
 ptiva ducenda omnis ratio ad obediendum Christo
 2. Cor. X. 5. Siquidem Veritas Christi aliò teste non
 indiget, quàm Spiritu S. in cordibus 1. Joan. V. 6. Con-
 tra: qui simplicitatem styli Scripturæ fastidientes, vanâ
 rationis subtilitate allegorias, tropos, & quæ sunt alia
 in sensum verborum Christi inferunt atque ingerunt,
 saltem ut suis placitis illa accommodent, certè non Spi-
 ritu Christi acti aut obsignati, sed potius ἀμαθεῖς καὶ ἀσύνετοι
 dicendi sunt, ex 2. Pet. 3, 16.

XX.

Quibus cum paria faciunt illi, qui efficaciam ver-
 bi & Evangelii Jesu Christi, nec non sacramentorum
 tanquam sigillorum Gratia labefactant, statuentes, il-
 lam efficaciam non semper nec intimè adesse his mediis
 Divinis, sed Electos solùm, de quibus visum DEO ita
 fuerit, eandem accipere, cum tamen Verbum Evange-
 lii, in se, semper sit semen vivum 1. Pet. I. 23. Poten-
 tia Dei ad salutem Rom. I. 16. In Baptismo sit vis omnes
 & singulos Homines à peccatorum sordibus abluendi
 per sanguinem Christi & per Spiritum Regenerationis,
 hinc

hinc, ad Tit. III. 5. nominatur *παλιγγενεσίας καὶ ἀναπαύσεως πνεύματι ἁγίῳ*. In S. Cœnâ, vi Institutionis Salvatoris nostri Omnipotentis, præsentissimè adsit & omnibus ore sacramentaliter manducandum & bibendum conferatur *σῶμα καὶ αἷμα* Domini nostri Jesu Christi. His contraria asserens Spiritus, tantùm abest ut Christum glorificet, quin potius seriam ipsi de salute omnium Hominum curam atque intentionem abjedicet, culpamque æternæ perditionis in ipsum devolvat, adeoque omni modò gloriæ ejus obscuret atque commaculet.

XXI.

Et quâ, quæso ratione, etiam in *rebus ad piam praxin pertinentibus* ejusmodi Spiritus Christum poterit glorificare, qui non permittit Homini super Gratiâ & Misericordiâ Dei universali lætari, Optimoque Patri in Cœlis perennes laudum victimas offerre, dum hanc universalitatem ipse impugnat, nec credere vult? Quò amore serviet Jesu Christo ille, qui dubius semper hæret, num partem habeat in hõc Salvatore, num sibi etiam missus atque datus sit, num Gratix mediæ suæ quoque animæ debeant esse efficacia? Sanè in id genus cordibus non modò nulla potest vera esse Christi glorificatio, sed etiam tacitum odium Erga ipsum & servilis timor, quia, quid polliceri sibi de hõc Salvatore possint, certa non sunt.

XXII.

Imò in genere quoad praxin Christianismi mirificè probatur Veritas Spiritus Christi, per glorificationem hujus Salvatoris, ita ut, quò excellentior eadem sit, eò certius hujus sanctissimi Spiritus *κεκληθειον* appareat.

XXIII.

Occurrit in Praxi Christianismi imprimis pugna

ac

ac victoria in peccata, & nova dein in veritate ambulatio.

XXIV.

In utroque omnis qui est Jesu spiritus, hunc Jesum ejusque virtutem, veritatem & vitam omnibus extollit viribus, & re ipsa, quantum possit, ostendit.

XXV.

Victoriam in peccata tantam in Jesu esse demonstrat animabus ipsum audientibus, ut nulla vis, nullus conatus, nulla denique hostium astutia eam amplius possit superare, quo efficit ut fidelis cum hoc victoriosissimo Jesu fide unitus, Ejusque victoriâ jam partâ fretus ab omni dominio peccatorum se eripiat, contra omnes eorum ut & diaboli in ipsis operosi, insultus fortiter depugnet, sicq; in omnibus periculis, in omnibus certaminibus, animo Virtute Jesu suffultô immotus permanens tandem victoriam reportet gloriosam. Rom, II X. 37. I. Joh, V. 4.

XXVI

Veritatem, quam Salvator lapsu deperditam restauravit nobisq; per Evangelium è sinu Patris prolatum communicavit Joh. I., 17. 18. Spiritus Christi talem esse monstrat, ut ei nihil omnino mendacii admisceri possit vel debeat, sed quæ conjunctum semper habeat studium veterem hominem exuendi, novumq; induendi. Ephes, IV, 21. 22. 23.

XXVII.

Vitam denique quæ in Christo est, Spiritus Ejus ita delineat, ut ad omnia spiritualis vitæ opera satis facultatis, satisque virium in Jesu inveniri, ejus testimoniô edoctus fidelis non possit non fateri, II, Pet, I. 3. hinc
etiam

etiam hac invictâ veritate vitæque Jesu Sanctissimo exemplo commotus, in viis Domini incedere impellatur.

XXVIII.

Adversantur huic veritati omnes illi, quicunq̄ue verbis aut factis se servos peccati fatentur ac demonstrant, imò fideles dominio peccati esse per Christum liberatos, Ejusque jugum excutere posse pro impossibili & nimix perfectionis somnio vendidant.

XXIX.

Hi tales enim, Spiritus Christi expertes, Christum quem ille glorificat, servum peccatorum faciunt Galat II. 17. eoq̄ue ipso hanc tantam fidelibusq̄ue tam acceptam Christi gloriam, è victoriâ emanantem, quantum in ipsis est, ei auferunt, ita verò se non Spiritu Christi, sed potius satanæ, à cujus partibus stant, regi, clarè demonstrant.

XXX.

Pertinent huc & illi, antea dictis non absimiles, qui veram ac infucatam coràm Deo ambulationem, imaginationem saltem quandam melancholiæ, ac impossibilem plus justò, ceu perperam opinantur, sanctitati studentium conatum, appellare non erubescunt: imo referendi huc omnes, qui licet non verbis, tamen ipso facto veritatem, virtutem ac vitam, quæ in Jesu Christo est, negant.

XXXI.

Hi certè eam Majestatem & gloriam Jesu Christi, quæ infidelibus tam caro pretio emtis variâque divinâ virtute, per fidem imbutis, suo modò ac metro resplendere debet, pro nihilo habent, & summa summum
B
hunc

hunc Regem contumelia afficiunt, id quod etiam nisi in tempore resipuerint, inultum haud ferent.

Stat igitur firmum hoc Confectarium:

Quicumque Spiritus in doctrinâ & vitâ Christum glorificat, ille est Spiritus Christi.

Spiritus in veritate Evangelicâ testimonium perhibens hoc facit, Ergo &c.

Contrà:

Quicumque Spiritus hanc Christi gloriam in doctrinâ ac vitâ imminuit & labefactat, ille non est Spiritus Christi.

Sed Spiritus heterodoxorum, & in primis, per suprà dicta, Calvinianorum hoc facit, Ergò non est Spiritus Christi:

F I N I S.





PRÆSES RESPONDENTI

Ubi rerum testimonia adsunt non opus est verbis :

Tritum hoc sermone proverbium

Experientiâ Magistrâ comprobatum :

Testis scilicet Veritatis

non verborum color sed res ipsa est,

Unde non in nudo sermone, sed Virtute Regnum Dei. * * 1. Cor.,

Spiritus Veritatis

IV., 20.

testimonio suo Divino nobis apparet infallibilis :

Est Spiritus Patris & Filii

Hinc Patrem,

qui pater Filio decrevit honores,

in & cum Filio glorificat,

testimonio nempe vivo

Per Scripturæ Veritatem & Fidelium Exemplar.

En!

via hæc planissima, tutissima,

quid verum sit, probandi.

Maeste ergo! Reverende Domine Respondens!

Spiritum Christi, quô motum & conversum te fateris,

In Salvatoris nostri glorificatione pernosce,

vivâque praxi doce.

Deo enim, sibi, aliisque verè sapit,

qui hæc capit,

1700

PRÆSES RESPONDENTI

Obiit hunc in hunc mundum hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc
Experientia Magistri hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

Unde nos in hunc mundum hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

estimo nos in hunc mundum hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

in hunc mundum hunc hunc hunc hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

Per hunc mundum hunc hunc hunc hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

in hunc mundum hunc hunc hunc hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

Magister hunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

in hunc mundum hunc hunc hunc hunc hunc hunc
Tunc hunc hunc hunc hunc hunc hunc

Call. ob. 17

6 p. 24